



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Qvi ... Illas Omnes Complectitvr Historias, Qvæ Post Secvndam Sex
Tomorvm Editionem ...

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1586

VD16 ZV 1269

XXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77432)

ITEM DE EODEM EZECHI.

ELE PROPHETA, PER D. HIERONY.
mum Presbyterum.

Ezech. 1.

Hier. 21.
&c.Hieremias
et Ezechiel
simul pro-
phetaſūt.

Zechiel Propheta cum Ioachin Rege Iuda captiuus ductus est in Babylonem, ibique his, qui cum eo capti fuerant, prophetauit, poenitentibus quodam Hieremias vaticinium se vltro aduertariis tradidissent: & viderent adhuc urbem Hierosolymam stare, quia ille casuram esse praedixerat. Trigesimo autem aetatis suae anno, & captiuitatis quinto, exorsus est ad concaptiuos loqui. Et eodem tempore, licet posterior, hic in Chaldaea, Hieremias in Iudaea prophetauerunt.

Sermo eius nec satis disertus, nec admodum rusticus est, sed ex vtroque modis temperatus. Sacerdos & ipse fuit, sicut & Hieremias, principia voluminis & finem magnis habens obscuritatibus inuoluta. Sed & vulgata eius editio non multum distat ab Hebraico. Vnde satis miror, quid causa extiterit, ut si eosdem in vniuersis libris habemus interpretes, in alijs eadem, in alijs diuersa transfulerint.

BEATI PETRI DAMIANI SERMO

DE FESTIUITATE SANCTI GEORGII MARTY.

ris, vt habetur octauo Tomo Aloysij.

Aprilis 23.



MODIerna festiuitas, dilectissimi, paschalis gloriae laetitia geminat, & velut preciosa gemma, aurum, cui imprimitur, decore proprii splendoris illustrat. Aprè nimirum hoc potissimum tempore beato Georgio concessum est triumphare, quando transacta hyemalis inclementia turbinis, Austri fomite resoluta laeta terra alacriter parurit, & e-rumpentibus diuersis herbarum atque arborum floribus, tanquam adolescentiae (vita loquar) aetate pubescit. Georgius siquidem Graece, terra cultor Latino sonat eloquio, qui nimirum iuxta sui praefagium nominis, non modo suae mentis agrum spiritualis exercitij disciplinis excoluit, sed & san-

Nominis
Georgij in
terpreta-
tio.

ctae exhortationis, & pia correptionis vomere, terrena multorum corda profecit, vitiorum que vepribus erutis, foecunda in eis virtutum arbuſta plantauit.

Merito igitur hodie beati huius martyris anima, post cruentam furiosi principis rabiem, post carnificum feraliter sequentium immanitatem, post dilacerati corporis exquisita supplicia, post ignis ac ferri, picis ac sulphuris iniqua tormenta, post verberum denique plagas, post carcerum tenebras, tanquam post hybernas furentium ventorum niuiumque procellas, oraculum hoc meruit diuinae vocationis audire: Veni columba mea, sponsa mea, formosa mea: iam hyems transijt, imber abiit & recessit, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit. Plane de militia translatus est in militiam, quia terreni tribunatus, quo fungebatur, officium, Christianae militiae professione mutauit. Et vt reuera strenuus miles prius omnia sua pauperibus tribuens, sarcinam terrenae facultatis abiicit, sicque liber & expeditus, ac fidei lorica praecinctus, in ipsam densi certaminis aciem feruidus se Christi bellator immerſit, seruato scilicet ordine, vt rerum pondus ante deponeret, atque ita postmodum ad campum certaminis imperterritus profiliret. Inde est quod in lege praecipitur, vt homo formidolosus, & corde pauido non egrediarur ad bellum, sed Vadat, inquit, & reuertatur ad terram suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum, sicut & ipse perterritus est. Quibus nimirum verbis liquido perdocemur, quia pro defensione fidei dimicare fortiter & idonee nequeunt, qui adhuc nudari terrenis opibus pertimescunt, tolerabiliusque est, vt domum quodammodo

Cant. 2.

nat omnia
sua pauperibus.

Deut. 20.

SURIUS

q. ber
Kober
RVIII
5

modò redeuntes ignobiliter & imbelles viuunt, quam secum & alios à triumphandi gloria per degeneris exempla timoris auertant. Beatus verò Georgius sancti Spiritus igne succensus, & vexillo crucis inexpugnabiliter premunitus, sic cum iniquo Rege congressus est, vt & iniquorum omnium principem in satellite vinceret, & ad agendum fortiter Christi militum animos incitaret.

Et quidem Diocletianus tunc Imperator, sicut in descripta passionis eius reperitur historia, cuius os, iuxta Psalmistam, maledictione plenum erat & amaritudine, & sub lingua eius labor & dolor, qui sedebat cum diuitibus in occultis, vt interficeret innocentem, insidians quasi leo in spelunca sua, primò quasi vestimentum onis subdolos induit, & sic quadam arte versutia ac fucatis blandimentorum coloribus illum inuadere tentauit. Sed cum insignis athleta Christi spirantia ex antiqui serpentis ore venena contemneret, & non iam primi parentis originem, sed secundi potius in se viuere titulos demonstraret, protinus ille tanquam sagitta de fatana pharetra prodiens, immanem lupum, qui latebat, aperuit, & ad inferenda diuersa poenarum supplicia, cruenta bestia feraliter ebulliuit. Glomeratis itaque carnificibus beatus martyr extenditur, verberibus tunditur, duris rudibus laniatur. Dehinc rota gladijs armata profertur in medium, vt circumligatum martyris corpus tanto crudelius, quanto multiplicius perforetur. Artificis nimirum feritas, noua & exquisita poenarum inuenit argumenta, & ad fatiendam sui furoris rabiem philosophatur in excedenda crudelitatis humane mensura, ignorans scilicet, quia preciosum nitore conspicui margaritarum, viuus utique supernae Hierusalem lapidibus inferendum, quanto asperioris lime scabredine, vel mallei tonsione politur, tanto praclarior redditur.

Aderat planè supernus & inuisibilis arbiter, qui ad suae dispensationis arbitrium & hinc manus impiorum fauere permitteret, & inde gemmam suam inuoluta propria soliditatis integritate seruaret. Qui etsi martyris sui membra carnificum manibus tradidit, animam tamen inexpugnabili fidei arce subnixam, indefesso protectionis suae munimine custodiuit. Nec ad hoc eos permisit attingere quod latebat, id solum eis obijciens, quod extrinsecus apparebat: & tanquam aqua diluuij, arcam quidem vndique circumfluere, nec tamen poterant intima penetrare. Dicit itaque beatus Georgius, dicat. Nisi quia Dominus erat in nobis, cum infurgerent homines in nos, forsitan viuos deglutissent nos: cum irasceretur furor eorum aduersum nos, forsitan velut aqua absorbuissent nos. Haec sunt videlicet aquae, de quibus per Psalmistam Saluator ait: Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquae vsque ad animam meam. Et per Ionam: Proiecasti me, inquit, in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me: omnes gurgites tui & fluctus super me traiecerunt. Sed ijs aquis, & mari, iuxta scripturam, Dominus terminum circumposuit, quia secundum dispensationis suae mensuram, non secundum peruersitatis humanae concupiscentiam, reprobos in electos suos fauere permittit.

Hinc est enim, quòd in mundi nascētis exordio mare Deus diuisit ab arida. Quid enim per mysterium mare, nisi reprobos homines & infideles insinuat, qui nimium quadam carnalis ingenij salugine callidi, sed odij ac simultatibus inuicem inueniuntur semper amari, & velut mare diuersis tentationum fluctibus intumescunt, cupiditatumque carnalium procellis ac tempestatibus quatuntur? Quid verò arida, nisi animam designat fontem fidei sitientem, vel ad creatorem suum ardenti desiderio tanquam sitibundis faucibus anhelantē: Vnde & quadam anima hac siti feliciter arida aestuans clamat: Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veni & apparebo ante faciem Dei: Ab arida ergò mare diuiditur, quando Deus omnipotens a se sitientibus reproborum impetus reprimat, & tanquam litus marinis fluctibus obijcit, dum conatibus feruescentis in sanie sui moderaminis limitem figit.

Quod profectò illa Dei vox probat, qua dicit: Quis conclusit ostijs mare, quando erumpebat, quasi de vulua procedens? Et paulo post: Circūdedi illud terminis meis, & posui vectem & ostia, & dixi: Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Enimuerò rectè per mare cor prauis hominis designatur, quod videlicet furore est turbidum, rixis amarum, elatione superbie tumidum, caligine malitiosae fraudis obscurum. Separauit ergò tunc Deus mare, & minantes fluctus ab inundatione terrae compescuit, vt terra virentes herbas & ligna pomifera germinaret, ac deinde segerum fructus afferret. Separat etiam nunc ab

Quae est
Tomo 2.
Psal. 3.

S. Georgi-
us diuersis
supplicis
tormenta-
tur.

Gen. 7.

Psal. 103.

Psal. 68.
Ion. 2.
Psal. 103.

Gen. 1.

Psal. 46.

Iob. 38.

Reprobis
electis

SURIUS

q. 100
1000
RVIII
5

semper iu-
stos perfe-
quantur,
animā ve-
rō laedere
nō valent.

electis suis reprobatorum turbines persequentium, & quasi furentes coercet impetns tempestatum, quos & si furere vsque ad infligenda corporibus tormenta concedit, nē tamen animas laedant, inuicta eos atque peruigili brachij sui protectione cultodit, quodammodo dicens mari: Hucusque venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. ac si patenter dicat: Vsque ad inferenda corporibus te tormenta relaxo, nē autem vsq; ad animam cumulis intumescens profus, legis meae tibi litus oppono: vt dum furori fluctuum tuorum litus obijcitur, terra cordis ad proferenda fructuum germina libera relinquatur.

Et quia Georgius, vt superius diximus, terrae cultor exprimitur, rectē hoc allegorica figura mysterium eidem beatissimo martyri coaptatur. Cui scilicet etsi vsque ad litus carnis, persecutionis fluctus efferbuit, solidissimam tamen animae eius terram procella tempestuosi turbinis non inuoluit, nec cum vorago pelagi furentis abforbuit, qui spei suae anchoram non in putris arenae succiduo, sed in soliditate petrae, quae Christus est, fixit. Hinc est profectō quod Veritas ait: Qui audit verba mea & facit ea, similabo eum viro prudenti, qui edificauit domum suam supra petram, Venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit, firmata enim erat supra petram. Verē insignis hic miles Christi supra petram fidei suae fundamenta constituit, qui premij caelestis intuitu minas principum spreuit, malē blandientium promissiones irrisit, carnificum tormenta contempsit, ferum, ignes, gladios, ac diuersa suppliciorum genera inuictae patientiae maiestare calcavit.

1. Cor. 10.
Luc. 6.
Mat. 7.

Inuicta S.
Georgij pa-
tientia &
fortitudo.

Psal. 138.
2. Cor. 7.

Exo. 28. 29.
Leuit. 6. 16

Psal. 151.
Nouiter
renati de-
beat lineis
vestibus, id
est, operib.
iustitiae in-
duti.

Psal. 31.

Num. 23.

1. Reg. 18.
19. & 20.

Hunc caelestis militiae bellatorem, fratres charissimi, non tantum admiremur, sed etiam imitemur: in illud caelestis gloriae praemium iam spiritus erigatur, vt dum in eius contemplatione cor figimus, non moueamur, vt rō mundus lenocinator ardeat, an certē minax aduersitatibus fremat, dicentes cum Psalmita: Sicut tenebrae eius, ita & lumen eius. Mundemus itaque nos, iuxta Pauli praecipitum, ab omni inquinamento carnis & spiritus, vt in illud beatitudinis templum, cui nunciaciem mentis intendimus, quandoque etiam ingredi mereamur. Hinc est, quod Aaron prius aqua lauatur, & sic postmodum tabernaculum sacrificaturus ingreditur. De quo nimirum benē ad Moysen diuina voce praecipitur. Tunica, inquit, vestietur, feminalibus lineis verenda celabit, accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti. Hae enim vestimenta sunt sancta, quibus, cum lotus fuerit, induetur. Quisquis enim in tabernaculo Christi, quod est Ecclesia, semetipsum Deo sacrificare contendit, necesse est, vt postquam lauacro sacri fontis abluatur, diuersis etiam virtutum vestibus induatur, sicut scriptum est: Sacerdotes tui induantur iustitia: quatenus qui in Christo per Baptismum nouus homo renascitur, non iam pelliceas tunicas, mortalitatis videlicet indices vestiat, sed deposito veteri homine, nouum induat, & in eo per mundae conuersationis studium innouatus viuat. Et notandum, quod omnes illae vestes lineae describuntur: linum quippe ad candorem cum labore perducitur, & virtutum vita non acquiritur sub torpore desidiae, sed in laboriosa potius exercitio disciplinae.

Purificati igitur, dilectissimi, per noui baptismatis sacramentum, induamus nos linea tunica, vt quod candor nos sanctae conuersationis exornet. Feminalibus verenda tegantur, vt dum honestae vitae tegmen assumitur, praeteritorum criminum antea Dei oculos turpitudine celetur. Vnde Dauid: Beati, inquit, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Zona linea constringamur, capiti quoque cidaris imponatur, vt praecincti in veritate lumbos mentis, protegamur galae spe salutis. Sic sic nimirum & veteris peccati squalore purgati, & nouae conuersationis nitore conspicui, dignē celebramus paschale mysterium, & beatorum martyrum veraciter imitamur exemplum. Nec desperetis, fratres mei, licet adhuc infirmi, licet exterioribus fortassis adhuc actibus implicati, non desperetis ad martyrum vos confortium peruenire, qui martyrum victorias vos recognoscitis ex corde diligere. Quinque certē Salpha ad filiae inter fratres suos noscuntur hereditatem, Moysē constituente, sortitae, quinque nimirum, & scemina, vt per quinarium numerum exterior occupatio, per muliebrem verō sexum infirmitas designetur. Ionathas quoque in quodam inter vt runque meditullio positus, nec cum Saul remansit in malis, nec Dauid aequiparari potuit prorsus in bonis. Sed quia dilectio Dei Prophetae fuit amicus, & de futuro eius gaudium est fraternae benignitatis successu, pie

su. piē creditur ab eius consortio nunc in spiritu non esse diuisus, cui dum in carne uiucret, vnanimiter extitit in amore iunctus.

Nos autem, dilectissimi, qui exagitantem Saul spiritum malum, auxiliante Deo, post terga dimisimus, immo qui Pharaonis exercitum in mari rubro demersum, per virtutem sacramenti paschalis euasimus, pro carnis tamen infirmitate adhuc versamur in cremo, transeamus ad vitę perfectionem, ad terram scilicet lacte & melle manantem. Egressi de Sodomis, non in Segor diutiùs immoremur, sed liberati cum Loth, montis verticem celeriter ascendamus: quatenùs qui inter ipsa tyrociniij rudimenta, iam beatorum martyrum cœpimus aggaudere triumphis, quandoq; ad hoc etiam proueamur, vt discamus & ipsi triumphare cum sanctis. Et ipse sit fortitudo nostra dum protegit, qui factus est precium cum redemit, Iesus Christus Dominus noster, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Exod. 14

Gen. 19

VITA SANCTI EVTROPII EPISCO

PI ET MARTYRIS, PER D. GREGORIVM ARCHL

episcopum Turonensem scripta. Posita est in libro eiusdem

in gloriam plurimorum martyrum

edito, capite 56.



VTROPIVS quoque Sanctonice vrbis Episcopus à beato Clemente Episcopo fertur directus in Gallias, ab eodem etiam pontificalis ordinis gratia consecratus, impleto huius officij ordine, peractaque incredulis predicatione, insurgentibus paganis, quos autor inuidia credere non permisit, illiso capite victor occubuit.

Aprilis 30.

S. Eutropij capite plectitur.

Sed quia eo tempore instante persecutione, neque à Christianis debito honore veneratus, neque digno loco sepultus est, valde datus obliuioni Martyr ille fuit. Qui hoc ordine traditur reuelatus. Post multa annorum spatia in eius honore basilica edificata est. Expletoque opere Palladius, qui tunc sacerdotalis ordinis cathedram regebat, conuocatis, Abbatibus sacros cineres in loco, quem preparauerat, transferri studuit.

translatio sacratissimi corporis eius.

Quòd cum factum fuisset, duo ex Abbatibus, referato opertorio, sanctum corpus adspiciunt, contemplanturque cicatricem capitis, qua in parte defixum fuerat securis acumen. Sed ne præsens visio duceretur in irritum, etiam spiritalis hæc doctrina communiuit. Scilicet cum sequenti nocte strauissent sacerdotes membra quieti, apparuit per visum his duobus dicens: Cicatricem quam contemplati estis in capite, scitote me per eam martyrium consumasse. Et ex hoc quòd martyr esset, innotuit populis, quia non aderat historia passionis.

Apparitio eius.

MAI VS